



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1729. usque ad annum 1731

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1785

VD18 13322648

§. 8. Opera & decessus Scriptorum Quorundam Aatholicorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67677](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67677)

Sæc. XVIII.
A. C. 1728.
 iniiit, ac egregius Orator vix non omnes panegyricos Pragæ habitos sermones composuerat. Elucubrabat quoque syntagma genealogicum Comitum Woraczichiorum, & sphyn gem in familiam de Wunschwitz, notis quoque illustravit P. Augustini a S. Maria epistolas. Decessit Pragæ Menſe Martio.

§. VIII.

Opera & decessus Scriptorum quorundam A catholicorum.

Ex Scriptoribus A catholicis hoc anno defunctis celebriores recensere lubet, tales sunt. I. Elias Bennoit Calvinista, qui apologiam pro Pastoribus ob Gallicam persecutionem profugis, Historiam edicti Nannetensis, & varias observationes Critico - Theologicas in dissertationes Tolandi edidit. II. Jacobus Lenfant pariter Calvinista, qui prælo subiecit Historiam Concilii Constantiensis, Historiam Concilii Pisani, Novum Testamentum Gallice redditum cum notis, &c. III. Christianus Thomasius Lutheranus, cujus studio prodit Historia contentionis inter Imperium & Sacerdotium, introductio ad Philosophiam Aulicam, fundamenta juris naturæ & gentium cum Historia juris naturæ, cautelæ circa præcognita
 juris

jurisprudentiæ, institutiones jurisprudentiæ Divinæ, introductio ad intellectus & morum doctrinam, pluraque alia. IV. Joannes Porst Lutheranus, inter cujus opera præcipue celebratur ejus Theologia Viatorum practica, & Theologia Regenitorum. V. Joannes Gramlichius, cujus solertiæ debemus tractatum de foederibus divinis in genere, tractatum de moralitate concubinatus contra Thomasium, vindicias legum Divinarum positivarum universalium contra Buddeum & Thomasium, præter alia non pauca. VI. Fridericus Bierling Lutheranus, qui præter varia opuscula elucubravît commentationem de Pyrrhonismo historico. VII. Georgius Henricus Goetze, qui præter alia quamplurima ad prælum promovit Theologum semisæcularem, Diptycha exulum, de odio Pontificiorum in Hymnos Ecclesiæ Lutheranæ, Dissertationem de unctura Christi Bethaniæ facta, tractatum de Bibliothecis Patrum, de vigiliis Paschalibus vet. Christianorum, de Archidiaconis veteris Ecclesiæ, de salute Ismaelis, de remissione peccatorum, de lacrimis Christi nascentis, de officiis liberorum erga Parentes, de Christi scriptis, de suspirio Publicani, de Baptismo campanarum, de Monica Augustini Matre, de salute moribundorum

Sæc. XVIII.
A. C. 1728.

Sæc XVIII, dorum *Jesus & Maria* ingemifcentium
A.C. 1729. &c. obiit die 25. Aprilis.

§. IX.

*Ludovicus Cardinalis de Noailles Ar-
chiepiscopus Parisiensis moritur.*

Postquam Benedictus XIII. summus Pontifex Sacro Purpuratorum Collegio non sine maximo cordis sui júbilo denuntiaverat, quod Cardinalis Noaillius tandem Constitutionem *Unigenitus* sincero animo acceptaverit, suosque fideles encyclicis literis ad parem obedientiam hortatus fuerit, Cardinales totius S. Collegii nomine ad eundem gratulatorias dederunt literas, ad quas vicissim Noaillius epistolam scripsit tanto Præsule dignissimam; nec his contentus, insuper ad omnes Franciæ Episcopos, quos paulo ante suæ pervicaciæ socios habuit, encyclicas transmisit literas, in quibus eos faterna charitate rogabat, ut pariter suæ subjectionis exemplum imitarentur. Priusquam vero speratos suæ admonitionis fructus gustare posset, sinistris, quibus jactabatur, fatis, tædiis & vitæ miseriis subitanea mors finem imposuit; die enim secunda Maij tam vehementi opprimebatur apoplexia, ut linguæ usu destitutus, omnique animi sensu captus jam
vita